Quelle: https://manuscripta.at/?ID=25944
Copyright: Admont, Benediktinerstift

134v

in parte iudicatur. Subauditur si ab adulterio mulier recedere voluerit. quo casu vir uxorem suam recipere poterit. nullum ei periculum illaturus. Unde Pelagius papa Melleo subdiacono. Post penitentiam adulterii vir uxorem suam potest recipere.

Benedictum quoque quem uxorem alienam facinoroso iudicasti spiritu sustulisse. et in suum actenus presumere detinere consortium. si hoc rerum veritas habet. hoc iubemus experientie tue. ut eum cum ipsa quoque adultera districte non differas mactare. et cunctos ab invicem separare. et illum quidem ad Lucium defensorem in Apulie provincie patrimonium sine dilatione migrare. Illam vero siquidem maritus suus sine dolo aliquo recipere forte voluerit. tua ordinatione sub cautela recipiat. nullum ei dumtaxat de cetero simile committenti periculum illaturus. Si vero omnino eam recipere noluerit. in aliud quoddam locum in quo ei non liceat male vivere. eam provida dispensatione constitue. De eodem.

Non erit turpis neque difficilis etiam post perpetrata atque purgata adulteria reconciliatio coniugii. ubi per claves regni celorum non dubitatur fieri remissio peccatorum. ut post viri divortium adultera non vocetur. Quod si in adulterio perseverare elegerit. patronus turpitudinis et lenocinii reus maritus habebitur. si eam adulterii ream facere voluerit. Unde in octavo libro C. t. de adulteriis et stupro. Imperatores Severus et Antoninus. Crimen lenocinii contrahunt qui deprehensam in adulterio uxorem in matrimonio detinuerint. non qui suspectam habuerint adulteram. Hoc in mulieribus non optinet. Non enim permittitur eis maritos suos adulterii reos facere. Unde et in libro C. I. t. eodem imperatores. Publico iudicio non habere mulieres adulterii accusationem quamvis de matrimonio violato queri velint. lex Iulia declarat. que cum masculis iure mariti accusandi facultatem detulisset. non idem feminis privilegium detulit. Item ex penitentiali Theodori. Qui adultere reddit debitum tribus annis peniteat.

Si quis uxorem suam scit adulteram et non vult dimittere eam. sed in matrimonio habere. tres annos peniteat. et quamdiu illa penitet abstineat se ab illa. Si ergo ut ex his auctoritatibus colligitur adulteram nulli retinere permittitur. multo minus in coniugium duci licebit. cui pudicicie nulla spes habetur. Debet enim inter coniuges fides